



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

XXI. Aprilis. S. Anselmvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

S. ANSELMVS ex Augusta Burgundiæ ciuitate ad Alpium radices posita oriundus, ac illustribus parentibus, Gundulfo patre, ac Hemeberga matre prognatus, & à pueritia ingenuè, liberaliterq; institutus, ad Beccensè Cœnobium, permotus Lanfranci famâ, discendiq; studio venit. Ibi ætatis suæ anno **x xv.ii.** primum fit Monachus, deinde Lanfranco ad Cadoniensem Abbatiam præfecto, in Beccensi prioratu successit, in quo ordine **xv.** annis stetit. Tum Eluino Beccensi Abbate mortuo, ANSELMVS Abbas creatur: quem gradum quindècim etiam annis gessit. Tandem accersitus in Angliam Archiepiscopus Cantuariensis creatur: vbi pro libertate Ecclesiastica tuenda, bis à Rege in exilium missus est. Monachus adhuc ita inediâ corpus maceravit, vt non solum gulæ illecebram penitus extinxerit, sed nec edendi delectationem, etiam post longa ieiunia senserit. Ægrotis singulari cura & sollicitudine, necessaria omnia absq; tædio & mora subministrabat. Clericis magnopere cauendum aiebat, ne si à sorte Domini caderent, in sortem Diaboli, per neglectum conuersationis & ordinis sui deciderent, omneq; tempus perditum asserebat, quod bonis studijs, aut necessariæ vtilitati non seruebat. Interrogatus cur ad seculares causas adeo imbecillo & abiecto esset animo; respondit: quia omnium secularium rerum amorem ab animo meo pepuli. Frequenter illud dictabat: Si hinc peccati horrorem, hinc inferni cererem dolerem, & vni eorum immergi deberem, prius infernum quam peccatum eligerem. Item malle se purum à peccato, gehennam sustinere, quam peccati forde pollutum, cælorum regna tenere. De dilectione proximi: magis gaudendum esse dicebat, si alios diligimus, quam si ab alijs diligamur. Rursus: malo, ait, decipi, bona de alijs credendo, etiamsi me nesciente mali sint, quam credendo mala de ipsis, me ipsum decipere, quos nondum verè probaui, quod boni non sint. Cum importunis precibus induci non posset, vt puellæ mente captæ sanitatem redderet, & miseræ manum imponere recusaret, quod id nequaquam ANSELMVS esset, tandem populi importunitate victus, quod nullis negare solebat, signo eam sanæ crucis signauit, quâ benedictione acceptâ, ad sanitatem ægra rediit. Naui con fracta, per mare nauigans, nullum naufragium est perpeffus. Iam moriturus super cilicium & cineres positus spiritum in manus creatoris reddidit **XI Kal. Maij A C. MCIX. ætatis LXXVI. Pontif. XVI.** In eius breuib; Opusculis, ait Demochares, penè omnia firmis rationibus demonstrari, quæ Petrus Lombardus Magister Sententiarum in quatuor pleniss. voluminibus, multis SS. Doctorum auctoritatibus postea confirmauit.

Exuarijs SS.

S. ANSEL-



S. ANSELMVS CANT. ARCHIEP. E. D. ORD. S. BEN.
 Exilium Cunctans prauos, firmansq; fideles
 Debit ANSELMVS pro pietate pati.

Handwritten notes on the book's spine:
 Inuocatio
 ad st. Anselmum
 B. Benedicti
 ...
 ...
 ...

JADA 2

H

XXIII APRIL